

2247

solitos (corrupte pro Γνωθὶ σεαυ-
 rov, Nosce te ipsum) quem com-
 pilavit Venerabilis magister arnol-
 dus (Gheiloven) de rotterdam in
 hollandia. decretorum doctor. cano-
 nicus regularis monasterii viridif-
 uallis. Cameracen. dioc. Continet
 vero prima pars rubricas sedecim.
 Porro diuiduntur rubrice per ca-
 pitula. que ulterius suas continent
 questiones. Subnotatur: Sextam
 Rubricam haberi in principio al-
 terius libri, qui secundam totius
 operis partem continet. Titulum
 excipit *Index Alphabeticus*, *In-
 dicem Praefatio* hujus tenoris:
*Honestis fidelibus ac discretis vi-
 ris Waltero de Bulst. Wilbel-
 mo de druempt, ac Jobanni dan-
 cels Secretariis scribis ac clericis
 Bruccellensis notabilioris pulcroris
 ac diciois oppidi tocius ducatus
 Brahancie Vester Arnoldus de bol-
 landia de Rotterdam, decretorum
 doctor minimus, intempestiuus et
 ante meritum professus in mona-
 sterio viridifualis. Canonico-
 rum ordinis sancti augustini
 in Zonne (Zonia) Silua. Camera-
 cen. dyocesis Salutem in patria et
 in uia salutaribus semper exerci-
 cijs occupari. Cum enim diuersis
 negociis et circa plurima rem pu-
 blicam tangencia occupati sitis &c.
 Praefationi subiectus est Elenchus
 Rubricarum, quarum I. tractat
 Septem Peccata Mortalia, II.
 Decalogum, III. Confilia Evan-
 gelica, IV. Quinque Sensus, V.
 Symbolum Fidei, VI. de Sacra-
 mentis, ut supra dictum, omitti-
 tur, VII. Ocho Beatitudines, VIII.
 Septem Dona S. Spiritus, IX.*

C O D I C E S

2248

Duodecim ejus Fructus, X. Ope-
 ra Misericordiae Corporalia, XI.
 Opera Misericordiae Spiritualia,
 XII. Tres Virtutes Theologicas,
 XIII. Quatuor Virtutes Cardina-
 les, XIV. Novem Peccata alie-
 na, XV. Peccata in Spiritum S.
 XVI. Peccata clamantia ad Deum.
 Dein Opus ipsum inchoat: *Que-
 ritur vero primo quotuplex est lex.
 Sciendum quod ad cognoscendum
 ordinem legum a principio humani
 generis &c.* Pars illius altera,
 quae nobis deest, ut apud *Oudi-
 num T. III. col. 2298.* video,
 praeter *Rubricam de Sacramentis*
 illuc translata aliis XV. *Rubri-
 cis de Excommunicatione et aliis
 Censuris* agit. Praeter titulum su-
 pra. relatam fertur etiam nomi-
 ne *Speculi Conscientiae*, pluries-
 que jam Sec. quo scriptum est,
 typis excusum memoratur, puta
Bruxellis 1476. 1479. alibi
 1490. quin etiam *f. l. et a.* De
 pio Autore, qui a. 1442. natu-
 rae debitum persolvit, praeter
*Oudinum cit. adi Foppenii Bi-
 blioth. Belg. T. I. p. 102.* Co-
 dex noster olim ad *Fratres Sancte
 Crucis in Colonia* pertinuit, pe-
 nes quos fortassis *Pars altera* re-
 manfit. Vide et Cod. CCLXI.

DXC.

Codex chartaceus lat. Sec. 443
 XV. Folior. 233. 4. currente
 calamo perscriptus sequentem
 complectitur Farraginem: I. *Opu-
 sculum de Cognitione sui ipsius*,
 tacito Autoris nomine, quod in-
 cipit: *Beatus homo quem tu eru-
 dieris.*

dieris domine &c. *Neminem censerī sapientem fateor* &c. Ad aliquam sacrarum Virginum Antistitam dirigi, ex his Prooemii verbis liquet: *Rogo autem beatitudinem tuam mater sanctissima quatenus magis pensēs intentionis affectum quam operis effectum* &c. Quae porro pertractantur, Capita sunt: *De uera sui ipsius cognitione. De uera humilitate. De perfecta paupertate. De silencio et taciturnitate. De studio oracionis. De passionis christi memoria et de perfecta dei caritate. De finali perseuerancia.* Ultima sunt: *donec introducat te in thalamum dilecti sponsi tui qui cum patre et spiritu sancto* &c. Bernardo plurimum utitur pius et gravis Scrip-
tor.

II. fol. 9. p. 2. *Incipit tractatus de Originali peccato.* Initium: *Ego cum sim cinis et puluis loquar ad dominum deum meum dicens* &c. Autor est *Aegidius de Columna* s. de Roma dictus *Doctor Fundatissimus* ex ordine Eremitarum *Augustin.* adsumtus ad *Bituricensēs* Infulas et a. 1316. demortuus, in cuius Opp. *Romae apud Ant. Bladum* 1555. T. I. fol. 48. p. 2. Tractatus noster VII. constans *Capitibus*, solideque scriptus legitur. Desinit vero: *ut facie ad faciem te uidere possimus qui benedictus es in secula seculorum Amen.*

III. fol. 15. praevio Indice alphabetico *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, de *Ecclesia Magistri Iohannis* (Huss) de *Hussynecz.* Initium: *Cum quilibet via-*

tor debet fideliter credere ecclesiam sanctam catholicam sicut debet diligere iesum christum dominum sponsum illius ecclesie &c. *Finis: et tantum ad presens relictis alijs in posterum differendis.* Habetur hic *Tractatus* in *Edit. Norib. Opp.* 1558. P. I. fol. 196. p. 2. ubi in *Titulo* collectus dicitur a. 1413. itaque biennio ante *Autoris* supplicium. Saepius relatus, ut *Index* docet.

IV. fol. 89. *Magistri* (Steph.) *Palecz* contra *reprehensionem consilij Octo doctorum.* Initium: *In primis ponunt* (Hussus cum Suis) *quod fundamentum doctorum super quo fundant omnia sua scripta et consilia est falsum.* puta quod *quidam clerus in regno Bobemie sit pestifer et erroneus* &c. *Stephani de Palecz*, quem *Ioh. Hussus* edit. cit. fol. 255. p. 2. *olim amicum et socium praecipuum nunc uero captiosissimum aduersarium* adpellat, posteriora quaedam *Scripta* indicavi jam *Codd.* variis. Praesens istud anterius est et directum contra *Hussi Refutationem Scripti octo Doctorum*, quae edit. cit. fol. 292. p. 2. exhibetur. Octo porro illi *Doctores* ab *Husso* in *Responsione ad Scripta M. Stanislai de Znoyma* Praeceptoris quondam sui edit. cit. fol. 265. nominantur: *Stephanus Paletz*, *Stanislaus* mox dictus, *Petrus de Znoyma*, *Joannes Helia*, *Joannes Hildissen*, *Andreas Broda*, *Hermannus frater Heremita*, *Matthaeus monachus* (Cist.) *de Aula regia.* Atque hos inter

Viri, de quibus teste ipso *Huffo* edit. cit. fol. 255. p. 2. in *Missa* a *Teutonicis* blaspheme conficta cantabatur: *Stanislaus genuit Petrum de Znoyma, et Petrus de Znoyma genuit Paletz et Paletz genuit Hus.* Sed nempe Viri hi *Huffum* non in ultima fecuti. *Paleczii* Scriptum praefens ἀνεκδοτον habeo. Finit illud: *qui eam in cunctis Ecclesijs protulisse cognoscitur. Habetur Dist. XXII. cap. Omnes &c.*

V. fol. 96. p. 2. Ventilantur II. *Quaestiones* ad eadem Religionis diffidia pertinentes, videlicet: *Vtrum possit summus princeps in executione sui mandati a minore principe impediri. Item: An quis sit Dominus, sit Praelatus, sit Episcopus, dum est in peccato mortali.*

VI. fol. 111. Excerpta varia e *Scriptis Job. Hussi*, praecipue e *Sermonibus Synodalibus*, qui extant Edit. *suprac.* P. II. ubi tamen non invenio, quae in *Cod. nostro* leguntur super C. XII. *Act. Apost.* Inter alia hic ridicule de *Petro calceante se caligas suas.* v. 8. *Ex quo videtur quod petrus non fuit de ordine fratrum minorum, nec habuit cappam nec cucullam superfluam ut habent hodie fratres alij &c.*

VII. fol. 118. p. 2. *Protestationes Magistri Johannis Wycleff.* Breviter extractae ex ejus *Scriptis in Cruciatam, de Universalibus, super Matthaeum, et de Potestate Papae.* Item alia Excerpta ex *Augustino de vita christiana* et *Rabani M. L. I. de*

Laudibus S. Crucis minoris momenti.

VIII. fol. 125. *Expositio Canonis.* Initium: *In virtute sancte crucis et sacramento altaris magna est conuenientia et efficacia &c.* Finis: *Multo quidem mirabilius est substantiam panis et vini verum corpus et sanguinem fieri quam nos in sanctorum admitti consortium.* Autorem ignoro, cui tamen nihil cum *Huffo* aut *Wicleffo* negotii esse, vel e *Miraculo* in *Ecclesia Praemonstratensium* facto constat, quod narrat fol. 127. p. 2.

IX. fol. 133. *Job. Wicleff* Liber de *Officio Pastoralis.* Incipit: *Cum duplex debeat esse officium christiani &c.* Et finit: *in hoc docet se esse proditorem regum temporalium et Christi nostri domini regis regum.* Additur: *Explicit tractatus benedictae memoriae magistri Jo. wycleff doctoris evangelici anno domini M^o. CCCC^o. X^o.* Meminere hujus *Tractatus Balaeus et Tannerus*, quem tamen typis editum nunquam fuisse putem. In *Bohemia*, ut solebat, descriptum prodit *Nota* marginis ad vocem *Vitulamen* mox linea 3. *Vitulamen dicitur in vite ramus infertilis, bohemice vocatur pazuch.* Alii scribunt *Pazauch.* Confer, si lubet, *Ducangii Glossar.* v. *Vitulamen.* Adi *Indicem.*

X. fol. 157. Incipit tractatus beati bernhardi de moribus adolescentum. Initium: *Hortatur quidem timidam mentis mee impericiem &c.* Finis: *totisque uiribus id sibi diripiunt. Deflorata potius sunt,*

sunt, quae hic habentur, ex illo Tractatu, qui in Edit. *Maur. Opp. Bernardi T. V. Paris. 1690. col. 373.* inscribitur *de Ordine Vitae et Morum Institutione*, diciturque non ad *Bernardum*, sed ad Monachum quendam *Benedictinum* pertinere, argumento sumpto e C. V. n. 16. ubi legitur: *Sanctus Pater noster Benedictus de ea (obedientia) tam terribiliter locutus est, ut fratrum etiam bene obedientium corda praenimio timore concuti valeant.* Verum Noster habet: *Pater Benedictus et ferrea inobedientium corda.* Ad calcem rubro: *Explicit tractatus — anno domini millesimo quadringentesimo XI^o. feria II. in die Margarethae.*

XI. fol. 162. p. 2. Incipit prebatio beati bernardi abbatis in epistolam ad fratres Cartusien. Epistola haec ad Haimonem Priorem et Fratres Carthusiae *Montis Dei* exarata ad *Wilhelmum S. Theodorici* prope *Rhemos* Abbatem pertinet, ut egregie docetur in *Admonit. praevia* edit.

cit. col. 195. In *Cod.* porro nostro, quae *Praefatio* dicitur, incondita quaedam lacinia est incipiens: *Miserator et misericors dominus de uia plene miserie &c. et de virga miserationis, directionis, vigilacionis, conseruacionis* aliquamdiu argutiens. Ignorarunt hanc Editores, apud quos, ut in *Cod.* Praefatio incipit: *Paene impudenter et plusquam decebat &c.* Ab hac Praefatione in *Cod.* abest, quidquid *Wilhelmus* de suis commemorat Opusculis; imo ipsa *Epistola* jam c. 2. definit in illis verbis: *Sed omnipotens et bonus est Deus qui in vobis est,* quae sic detorquentur: *et sit benedictus Deus in principio omnino et in fine Amen.*

XII. fol. 164. p. 2. post breuem Relationem, quid de *Assumpcione sancte Marie* dicant Novem Angelorum Chori sequitur *Epitafium beati Bernardi abbatis* a *Morando Cluniac.* ut fertur, *dialogicos* compositum, quod in Edit. *Opp. Omn. suprac.* non repertum hic adpono:

Mira loquar sed digna fide, bernbarde, quid est hoc.
Vivis adhuc. viuo. non es rogo mortuus. ymo.
Et quid agis. requiesco. taces an faris. vtrumque.
Cur retices. quia dormio. cur loqueris. quia viuo.
Quid loqueris. sacra mystica. cui. mea scripta legenti.
Non cunctis. non. ergo quibus. qui celica querunt.
Nomen habes. vti que bernhardus. num sine causa.
Non. dic ergo quid est hoc Bernhardus. bona nardus.
Cur nardus. quia fragro. quo fragramine. dulci.
Cui fragras et ubi. lectori, codice sacro.
Num cognomen habes. de clara valle. manes hic.
Mani sed modo non. ubi nunc. in vertice montis.
Qualis eras in valle manens. humilis. modo quantus.

Maior nunc fursum quanto minor ante deorsum.
Numne tui quidquam vallis habet. ossa. quousque.
 Donec celeste fiat terrestre cadauer.

Quae in Carminis leges peccant, facile emendes. Exemplum aliud proferendum jam *Lambecius L. II. p. 886. edit. Kollar. col. 785. praecepit. Vide Indicem.*

XIII. fol. 165. p. 2. Incipiunt monita beati Basilii episcopi ad monachos de pugna contra inimicum. Initium: *Audi fili admonicionem patris tui et inclina aurem tuam &c.* Plenius Exemplum, quam, quod dedimus alibi, ut in *Indice*. Subscribitur: *Bozie tobie bud chwala nawieky.* (Deus tibi fit Laus in aeternum) *Expliciunt Monita beati Basilij Episcopi ad Monachos et alijs quibus placent fidelibus in christo anno domini M^o. CCCC^o. XII^o. per Johannem de Proftieioꝝ (Proftanna, Proftnitz Moraviae) feria III. ante diem beati Georgij.*

XIV. fol. 174. p. 2. Tractatus beati Bernardi de diligendo deo. Alia miniata inscriptio: *Lectio Meditacio Oracio Contemplacio hoc est scala virtutum.* Initium: *Cum quadam die corporali manuum labore occupatus &c.* Tractatus hic titulo *Scalae Paradisi* jam et *Augustino* tributus majori jure *Guigoni* cuidam *Carthusiano.* tribuitur, cujus Epistolion ad *Fr. Gervasium* praefert in *Cod. Carthusiae Colon.* Ad *Bernardi Opera suprac. T. V. col. 311.* Codex noster non nisi Excerpta continet, quae definunt: *et ipse qui non vult mor-*

tem peccatoris iterum curabit et sanabit eum. Explicit libellus Beati Bernardi de quatuor gradibus spiritualibus in quibus perfectio vite continetur. anno domini M^o CCCC^o XII^o. in die Adalberti.

XV. fol. 177. Incipit tractatus domini Innocencij pape de *Claustro anime.* Initium: *Anime claustrum contemplacio dicitur in cuius sinu dum se recipit animus &c.* Pravis Codicibus *Johannem nostrum Proftannens.* usum fuisse oportet; ita et hic *Innocentio,* nescio cui, datus est *Libellus,* qui aut ad *Hugonem Victorinum,* aut, quod similis vero, ad *Hugonem de Folieto* pertinet. Inter *Victorini Opera Rothomagi 1648. f. legitur T. II. p. 79. tanquam totius Operis de Claustro Animae Liber III. atque de eo jam Codd. aliis meminimus. In praesenti definit his c. IX. de Dormitorio Animae* verbis: *Solve vincula colli tui. tolle grabatum tuum et ambula,* quibus additur: *in pace.*

XVI. fol. 187. Incipiunt Meditationes beati Anselmi Cantuarien. Praeit minio exarata *Methodus* iis utendi, prout in *Edit. Paris. 1721. p. 102. f.* Sed neque hic Exemplar integrum nactus fuit *Librarius noster;* orditur enim a *Meditatione II. quae infit: Terret me vita mea &c.* Huic succedit III. seu *Planctus Anime perdita*

2257

A S C E T I C I.

2258

perdita castitate, hoc initio: *Anima mea anima erumpnosa &c.* Et jam transfilitur ad *Orationem* in Edit. XX. *Pro accendendo dei amore*, cujus initium: *Domine ihesu cbriste redempcio mea misericordia mea &c.* Hanc demum excipit *Oratio* inscripta: *Pro venia impetranda*, quae *Anselmi* Editoribus incompta fuisse videtur; non enim illam in Edit. cit. reperio. Ejus initium est: *Suscipiat pietas tua domine deus meus preces humilitatis mee. Ego miserrimus ad te piissime deus confugio pregrauatus sarcina peccatorum incurvatus pondere criminum profundis ignorantie tenebris obvolutus &c.* *Anselmo* non indigna, verum, quod dolendum, jam cum pag. 2. in his verbis: *Inclina cor meum deus ad amorem tuum, ut te ex toto corde et ex* — — abrumptur.

XVI. fol. 205. p. 2. *Tractatus*, ut e calce praeoccupo, de *Corpore Christi venerabilis Magistri Stanislai de Znoyma*. De hoc Viro jam saepius actum. Thema *Tractatus* habes in primis ejus verbis: *Visum est non esse inutile quod quidam Tractatus de non remanencia ipsarum substanciarum panis et vini post consecracionem in sacramento altaris per aliqua motiua ad utramque partem contradictionis inclusive usque ad conclusionem katbolicam in hac materia protendatur &c.* Ad calcem omnia submittuntur iudicio *Sbinconis Archiep. Prag.* qui ab a. 1403 — 411. Sedem tenuit.

DXCI.

Codex chartaceus lat. Sec. 189 XV. Folior. nunc. 143. f. currente calamo scriptus et olim *Wenceslai Rossii Pressorovini* Sacerdotis *Bob.* ut *folium ult.* testatur, sequentia continet: I. *Collectanea* quaedam de *Eucharistia* et *Poenitentia*, adjunctis *Casibus Episcopo* et *Papae reservatis*. Principium deficit, primaque verba sunt: *nichil aliud percipit quam saporem panis, oculis videt colorem panis, auribus audit fracturam &c.*

II. fol. 12. succedit *Tractatus* asceticus absque Autoris nomine, de *gratia, virtutibus* cum generatim tum speciatim, et *Extremis*, quae homini accidunt, in *Capita*, seu *Sermones* CXXV. tributus, praefixo cuiusvis themate biblico. Ita C. I. incipit: *Gracia dei et misericordia in sanctos eius, et respectus in electos illius. Sap. 4. Sic dicit beatus Bernbardus in libro suo de libero arbitrio. Deus hic tria in nobis operatur &c.* Ultimum vero finit: *Item crimen lese maiestatis temporale est servitus perpetua. Similia exempla videmus cottidie.* Adjacet sequens rubrica: *Explicit liber iste Anno Domini M^o CCCC^o XXXI^o et sferia quarta infra octauas Visitationis virginis marie, et Index capitum.*

III. fol. 138. p. 2. Incipit *summa aurea bonaventure de gradibus virtutum et primo ponitur Caritas.* Initium Opusculi est: *Infirmus*